

Heinrich Müller   Georg Schuckmann

## **De Coelibatu Clericorum, Dissertatio Theologica**

Rostochii: Richelius, 1675

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740897594>**


Druck   Freier  Zugang




RU theol. 10.März 1675

Müller, Henr.
















DE  
**COELIBATU**  
**CLERICORUM,**  
DISSERTATIO THEOLOGICA,

29.  
13

Quam  
AUSPICE DEO,  
Benivolo venerandi Theologorum  
collegii indultu,  
PRÆSIDE

70

*VIRO Admodum Reverendo & Excellentissimo*  
D.N.

**HENRICO MÜLLERO;**  
SS. Theol. D. & PP. Ordin. in Academia

Rostochiensis, Facult. Theol. Seniore, ad D. Mariæ  
Pastore & Eccles. Rostoch. Superattendente,

Dn. Præceptore ac Fautore omni honoris atque  
observantiæ cultu dignissimo,  
*Publico eruditorum examini*

Universitäts-  
bibliothek  
Rostock

**GEORGIUS SCHÜCKMANN,**

Osnabr. Westph.,  
Aut. & RESP.

*Die 10. Martii in Auditorio Majori hinc consuetis*  
*exponet.*

*In. Redori*  
*M. Niefang.*

☞ (: o : ) ☞  
ROSTOCHII

Literis JACOBI RICHELII, Senat. Typogr.  
Anno 1675.






VIRO PRUDENTISSIMO  
DN. HERMANNO  
SCHUCKMANN,  
Inclytæ Reipublicæ Osnabrugensis  
Senatori dexterrimo

Dn. Patri atq; Evergetæ suo lon-  
gè maximo,

Hoc, quicquid est, chartacei muneris in *παιδείῃ* grati  
animi ac filialis Reverentiæ, cum voto omni-  
genæ prosperitatis



*offer.*  
FILIUS AUTHOR.



# I. N. D. N. J. C.

§. I.



Uo semper Conditori Diabolus ad ver-  
satur: Quæ Deus affirmat, ille negat,  
affirmat contra, quæ Deus negat: Sua-  
det quæ prohibet, prohibet quæ sua-  
det. Exemplo hac in re sit conjugi-  
um, unicum illud à Deo humano gene-  
ri propagando destinatum medium,  
cujus certè Diabolum infensissimum,  
hostem esse negari non potest; Quot  
non ille, quamq; non varios excitavit  
hæreticos, qui aliquâ conjugio labeculâ adspargerent? Cùm enim  
ab ipso Deo vinculum hocce conjugale institutum esse sacræ lite-  
ræ confirmat, non defuerunt tamen, qui illud à Deo esse  
negare non erubuerint, inter quos fuisse sectatores Simonis  
Magi prodit *Clem. Rom.* (vel quisquis author) *l. 6. const.*  
*Apost. c. 8.* Saturninus, teste *Iren. l. 1. c. 12.* nubere & genera-  
re à Satana esse docuit; Quin Severus insuper, ut est apud  
*Epiphaniū & Nicetam*, pudorem tam omnem exiit, ut mulierē totā,  
viri verò inferiores partes Diaboli creaturam esse, eosq; qui cum  
fœminā concumberent, Satanæ opus adimplere fabularctur. Por-  
rò vinculum conjugii esse ἀδιάλυτον seu indissolubile, ostendit Sal-  
vator *Mat. 19, 6.*; Contra Diabolus excitavit, præter plures alios,  
Anabaptistas, qui (referente *Cundisio in comm. super Cat. Hutteri*  
*p. m. 1282*) Christianis conjuges à doctrinâ Anabaptisticâ abhorren-  
tes vel commutare vel relinquere licitum esse, statuerunt. Tan-  
dem, quòd omnibus hominibus in conjugio vivere licitum sit, do-  
cet Paulus *1. Cor. 7, 2.* Contra Pontifex Romanus, Satanæ instinctu,  
Clericos & Sacerdotes conjugio arcet, juxta *Concil. Trid. sess. 24. c. 9.*  
Unde etiam inter Augustanæ Confessionis socios & Pontificios de  
hoc Clericorum cœlibatu quæstio moveri solet, quam mihi hæc  
vice ventilare animus est. *Cæptis è cœlis annue Christe piis.*

§. II. Antè autè quàm dogma hoc Pontificium plenius descri-  
bam,

A 2



bam, operæ pretiū fuerit, p̄aūcula p̄artim de voce *caelibatus*, p̄artim de voce *Cleri* p̄ræmittere. Cœlibatus igitur est status hominis in hac vita extra conjugium viventis, unde cœlebs, vel est vir sine uxore, vel mulier sine marito vivens, sic dicti, quod cœlo dignam vitam agant, prout quidē vult *lexicū Jurid. Calvini in voce cœlebs*. Nam licet sapientissimi quidam reipublicæ gubernatores cœlibatum oderint, eaq; propter olim cœlibes *teste eodem l. c.* nihil ex veterum Romanorū civium testamentis capere potuerint, quin per Spartanorū Legislatorē ad ludos Gymnicos, admissi non fuerint, omni etiā honore, & si senes essent, reverentiā quoq; à junioribus debitā caruerint, uti ex Plutarcho *Faber in suo thesauro* refert; Alii tamē ipsum magni fecerunt, inter quos Romanorum ille Rex, qui collegium virginum Vestalium instituit, item Sacerdotes Ægyptii, de quibus *Hieronymus l. 2. contra Jovianum c. 39.* & apud Judæos Essæorum secta, de quā *Josephus l. 2. de bello Jud. c. 7. § l. 18. antiquit. c. 2.* referunt, quod consuetudinē conjugale averfati fuerint, unde hac in parte mores Romanensium & Judaismum & Paganismū videntur olerere; cū quibusdā etiā Pontificiorū ordinibus tanta sedeat hypocrisis, inq; sexum foemineū (fōrs simulatū) odium, ut nullā foeminam suas vel ædes vel collegia ingredi permittant, si autem quædam incuriā Janitoris ingressa fuerit, mox viam, per quam ingressa est, scopis verrant, omnemq; pulverem ejeciant, ne illius tactu inquinentur. Dictum supra est, *cœlibatum esse statum hominis extra conjugium*, unde liquet, cœlibatum conjugio tantū opponi, & indē cœlibem dici illum, qui uxorem non habet, non attento, an uxorem antehac habuerit, vel etiam an concubinas alat; unde *Martialis*: Corruptis sine talione cœlebs. Et *Sueton*: Amisſa uxore Lepidā mansit in cœlibatu. Ubi tamen notandum, quod, cum Patres cœlibatum laudibus evehant, cum non tam pro vitā extra conjugium ductā, quā pro castitate accipiant.

§. III. Clericus Græcū est, & derivatur *ἱερός κληρικός*, quæ vox vel vermiculum in alvei pavimenti natum vel etiam hæreditatem vel sortem significat. Prima significatio hūc planē non quadrat, nisi quis ad quorundam improborum Clericorum vitam moresq; velit alludere. Secundæ favere videtur, quod Deus ipse sacerdotum



tum hæreditas esse velit *Num. 18. 20.* At prævalet tertia, cui patrocinatorum decretum Gratiani *dist. 21. c. Cleros;* ubi expresse vult. *Clericos ita dictos à sorte esse, quia Matthias sorte electus est,* qui tamen electionis modus paulatim in desuetudinem abiit, donec tandem abrogatus, inq̄ve locum ejus electio per suffragia substituta est, *per cap. Quia propter, Extra, de electione & electi potestate.* Licet autem Clericus in genere sorte electum significet, usu tamen receptum est, ut saltim illi, qui Christianæ religionis sacris ministeria sua impendunt, Clerici appellati fuerint, Quia autem ad ministeriū Ecclesiæ varia pertinent officia, quæ, præsertim ubi magna est populi frequentia, ab uno non possunt expediri, paulatim Clerici in certos gradus distributi sunt, ut quisq; certam sibiq; destinatam partem eò fidelius ac commodius ornaret, donec tandem absolute septem Clericorum ordines sunt constituti, qui tamen ex scripturâ demonstrari non possunt. Nam licet certum sit, multorum nominum, officium ecclesiasticum designantiū, in Scripturâ mentionem fieri, vg. Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum &c. inde tamen minimè Pontificii suos septem Clericorum ordines probare poterunt, quin potius in quibusdam Scripturæ Sacræ, in quibusdam sibi ipsis contradicunt, ut sub explicatione singulorum ostendetur.

§. IV. Primò igitur Pontificii in construendis his ordinibus inter se non conveniunt. Nam in *supra cit. cap. Cleros dist. 21.* Pontifex non septem, sed novem Clericorum ordines recenset. Verba sunt hæc: *Generaliter Clerici nuncupantur omnes qui in Ecclesiâ Christi deserviunt, quorum gradus & nomina sunt hæc: Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.* Doctores igitur Pontificii ne à capite Papæ abire videantur, suum tamen septenarium numerum quoq; saluum custodiant, varia quæerunt effugia *Wutselt. l. 4. Theol. catech. disquis. 6.* vult, sub Presbyteratu contineri Episcopatum, sicut species sub suo genere, vel potius, sicut pars integralis sub suo toto integrali. Bellarminus verò loco Presbyteri & Episcopi nomen Sacerdotis ponit; Psalmistam quoque & Lectorem propriè non distingui putat. Re-



Ipondeant igitur hi Romane sedis strenui alii defensores, quare  
 hic à capite suo Pontifice discedant? Ratio autem in promptu est:  
 In primitivâ enim Ecclesiâ non eadem ubiq; fuit officiorum distri-  
 butio usitata, sed pro diversitate circumstantiarum in hâc ecclesiâ  
 plures, in illa pauciores fuerunt gradus. *Dionysius* (referente  
*Chemnitio*) *cap. 5. sua Hierarchia* tres saltem ordines exprimit (1)  
*ἱερεῖς* (2) *τῶν ἱερέων* (3) *τῶν λειτουργῶν*. *Canones* verò *Apo-*  
*stolorum* sex tantum Clericorum nomina, ut *can. 41. Episcopi, Pres-*  
*byteri, Diaconi, can. 42. Subdiaconi, Cantoribus, & Lectoribus* recensent,  
 nullâ *Exorcista, Acolythis & Ostiarii* mentione factâ. *Epist. S. Igna-*  
*tii ad Antioch.* his ordinibus annumerat τὰς ἡμετέρας, quos *Hie-*  
*ron.* *Fossores* vocat, & ἐμολογητὰς *Confessores*. Quæ officiorum  
 nomina si singulatim numerentur, non septem sed undecim ordi-  
 nes constituent, *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Confessores,*  
*Acolythis, Exorcista, Psalmista, Lectoribus, Ostiarii, & Fossores,* horumq;  
 ordinum debita secundum gradus collocatio novas sine dubio  
 paritura rixas.

§. V. Porro, quod ad majores ordines attinet, nomina *Ep-*  
*iscopi & Presbyteri* in Scripturâ N. T. ministris Ecclesiæ sæpè tribu-  
 untur, quæ utut significatione diversa sint, videntur tamen uni  
 personæ verbum Dei docenti & sacramenta administranti com-  
 petere, ita ut Episcopus ad officium, Presbyter verò ad ætatem spe-  
 cter, cum hoc seniosem, illud inspectorem significet. Eundem  
 fuisse Presbyterum, qui fuit Episcopus, probatur ex *Act. 20, 17. col-*  
*lato cum v. 28.* ubi D. Paulus Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ vocat  
*Episcopos*. Itē ex *epist. ad Tit. 1, 5. collato cū v. 7.* ubi de ordinandis  
 Presbyteris loquens rationē addit, quòd nempe Episcopus debeat  
 esse inculpatus. Accedit *Petrus* in *1. epist. c. 5. v. 1. & 2.* Presbytero-  
 rum officio tribuens τὸ ἐπισκοπεῖν, imò se ipsum *συμπροβύτου*  
 appellans, quem tamen Adversarii longè supra omnes Episco-  
 pos, imò supra ceteros Apostolos, in Romani Pontificis solium  
 collocant. His directè contradicunt Pontificii in *Concil. Trid. sess.*  
*23. c. 7.* ubi anathema stringunt in illos, qui negant Episcopos Pres-  
 byteris esse superiores, majoremq; potestatem habere. Sanè  
 memi-



meminisse Pontificios oportuisset verborum in sæpè alleg. *dist. 21. c. Cleros: Unde & apud Veteres idem Episcopi & Presbyteri fuerunt. Et quòd expressè dicatur dist. 93. c. Legimus in Esaia: Audio quemquam in montem erupisse vecordia, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anseferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos &c.* (Fusius ibidem hoc argumentum ex Scriptura ostenditur & declaratur, ut omninò totus Canon lectionem mereatur.) *Conf. etiam dist. 95. can. olim idem erit. Diaconos ab Apostolis constitutos fuisse spectatæ probitatis ad dispensationem elemosynarum videre est Act. c. 6, 3. Diaconi ergo erant thesauris Ecclesiæ, præfecti, ut inde pauperum, & præcipuè ministrorum Ecclesiæ sustentationem curarent. Postea in Ecclesiâ Romanâ, testante Hieronymo, multa quæ erant Episcopi Diaconis imposita sunt, ( præcipuè cum Episcopatus degeneraret in politicam dominationem) v.g. prælegere aliquid ex scripturâ ad docendum, monere populum ad intentionem, administrare Sacramenta, pacem annunciare &c. Diaconis igitur in novis hisce officii partibus occupatis substituti sunt Subdiaconi, qui ea, quæ ad Diaconum proximè proprièq; spectabant, curarent, donec Ostiariis thesaurorum custodia commissa, tandemq; hi ordines omnes in Cantores degenerarunt, contra edictum Gregorii, quod existat *dist. 92. c. In sanctâ Romanâ.* Ex quibus omnibus patet, in primitivâ Ecclesiâ, & tempore Apostolorum haud fuisse istos Clericorum ordines, qui nunc sunt, quin potius Pontificios in his omnibus constitutos titulum sine re habere, beneficiaq; titularum sine officiis usurpare, ut *B. Chemn. in Exam. Conc. Trid. de Sac. Ordinis loquitur.**

§. VI. De minoribus idem esto iudicium. Nam *Acolyths* in primitivâ Ecclesiâ studiosi Theologiæ nominabantur, qui erant Episcopis à famulatio & à pedibus. Ex illis verò postea inscitia Romana fecit ceroferos solum in mediâ luce facibus illuminantes. *Exorcismus* olim erat peculiare donum in Ecclesiâ, quo quidam per Dei gratiam Diabolos vel expellere, vel certè compescere poterant. Sublato autem illo dono, ne etiam planè Exorcistarum ordo tolleretur, aliud ipsis tributum fuit officium, nempe ut invocarent super Catechumenos, uti legitur in sæpè *cit. cap. Cleros.*



*Cleros.* Quin modernus Pontificiosum exorcismus in ridiculam transit & superstitiosam incantationem. *Ostarios* quod attingit, illorum hodie nullus usus est, nisi ut vel fores templi claudant, vel canes expellant, vel pavementum purgent, vel leuiusculum aliud quid agant, ad quod peculiaris Clericorum ordo non requiritur. Tandem, ut brevitati studeam, de *Cantoribus & Lectoribus* plura proponere non lubet, quam quod illorum lectiones & cantiones, à plebe imprimis, haud intelligi queant, hoc unicum saltim addens: Pontificem Romanum, non obstante, quod omnium horum ordinum supremum in his terris caput esse velit, omnibus tamen hisce ordinibus infeliciorem esse, cum ipse omnes alios ordines absolvere, à nullo verò illorum absolvi possit, ut ut enim sint, qui velint, à Patre quodam Purpurato absolvi illum posse, obstat tamen *decretum Nicolai dist. 31. can. Inferior sedes*, quod sic habet: *Inferior sedes absolvere potiore non potest; Sola enim potior inferiorem convenienter absoluit.* Aut igitur mihi concedas, Pontificem in his terris non posse absolvi, cum non agnoscat superiorem, aut vera erit huius decreti contradictoria: *Inferior sedes potest superiorem absolvere.*

§. VII. Vocabulis cœlibatus & Cleri hoc modo consideratis, latere amplius nos non poterit, quæ qualisve Pontificiorum de cœlibatu Clericorum doctrina sit. Nimirum, est error hæresis proximus, quo iubentur omnes, qui Christianæ religionis sacris initiantur, conjugium in perpetuum abjurare, votumque facere, se per omnem vitam legitimam nullam uxorem sibi juncturos. Duo hic occurrunt expendenda (1) Quod Pontificii Clericos ad votum cœlibatus adstringant (2) quod hæc illorum obligatio sit error hæresis proximus.

§. VIII. Primum vix probatione indigere videtur, cum factis manifestum sit, quod Pontificii Clericos à statu conjugali arceant. Probat id sufficienter *canon. 9. Conc. Trid. sess. 24.* (ubi nota quod quidam authores hunc canonem allegantes sessionem 8. citent, fuit enim hæc sessio octava sub Pio IV. Pontif. Rom. totius autem concilii, quod sub tribus Pontificibus celebratum est, sess. 24.) *Qui dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares cœlibatena solemniter professos posse matrimoniam contrahere contractumque validum*



validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse quàm damnare matrimonium, posse, omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit. Quòd si Pontifex illos etiam, qui Clericos seu officium ecclesiasticum administrantes posse matrimonium contrahere, affirmant, diris devovet, quantò magis anathematis fulmen in ipsos Clericos matrimonium contrahentes & cœlibatum abdicantes vibrabit.

§. IX. Observandum tamen hic est (1) quamvis canon absolute loquatur de Clericis in sacris ordinibus constitutis, non tamen illum omnium ordinum Clericos absolute obligare, cum Lectoribus & Cantoribus uxores ducere licitum sit, modo ante vel sub ordinatione sese voto castitatis non obstrinxerint, prout tradit Wittfels in sua Theol. catech. l. 4. disquis. 6. instruct. 4. Idem hoc conceditur etiam dist. 33. can. Lectores, ubi dicit Pontifex: Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Quin ordinibus promiscue minoribus omnibus permisum est conjugium cit. dist. can. Seriatim; Majoribus verò interdictum est, quòd si de facto contraxerunt, coguntur uxores dimittere, & de commisso pœnitentiam agere, per dist. 28. can. Presbyteris. Sin autem dimittere noluerint, à ministerio plane cessent, per can. Presbyter dis. ead. & per cap. si qui Clericorum, Extra, de Clericis conjugatis.

§. X. Observ. (2) Per castitatem, de qua Patres Concilii hic loquuntur, non posse intelligi castitatem ut sic & simpliciter, sed saltim secundum Quid. Castitas enim docente Thomà in 2. 2. q. 151. a. 1. à castigando dicitur, quia concupiscentia, quæ per modum pueri est refrænanda, per rationem castigatur, & sic omnis retractio mentis humanæ, ne rebus illicitis delectabiliter uniatur, posset dici castitas, undè etiam l. c. a. 2. distinguit inter castitatem metaphoricè & propriè ita dictam, illam vocat Spiritualem, quæ ipsi nihil aliud est, quàm virtus, quæ mens hominis delectatur spirituali conjunctione ad id, cui debet conjungi, s. ad Deum, & cavet, ne delectabiliter rebus aliis uniatur, contra præceptum divini ordinis, de qua loqui putat Paulum 2. Cor. 11, 2. Propriè autem sumpta castitas juxta Thomam pro objecto habet delectationes venereas, estq; nihil aliud quàm virtus, quæ quis secundum judicium rationis & electi-



onem voluntatis moderatè utitur delectationibus Veneris. Jam sicut delectationes Veneræ variant, sic etiam ipsam variare statuit, ut sit (1) quædam interna quædam externa (2) quædam virginalis, quædam conjugalis, quædam vidualis. Interna, quæ quis imperet concupiscentiis libidinosæ voluptatis, per quam mulier stuprata, si in factum nullo modo consentiat, casta dici possit, cuique opponatur illa cordis impuritas, quam Salvator noster *Mat. 5, 8.* adulterium appellat. Externa sit, quæ quis abstineat ab omni illicito & immoderato usu Veneris. Virginalis castitas illi dicitur, quæ quis ab omni; Conjugalis, quæ ab inordinato Veneræ delectationis experimento se conservat immunem; Vidualis vero, quæ viduus vel vidua se imposterum continent. Hinc constat, quando *in supra cit. can.* dicitur, *castitatem solenniter professos*, sermonem non esse de castitate *ut sis*, quia hanc non solum Clericus, sed omnis Christianus debet profiteri, teste Paulo *ad Tit. 2, 5. & 12. & Johanne in 1. c. 3, 3.* Neque de castitate *internâ*, sicubi enim homo à carne superatur, modò voluntas ejus cum quædam assentatione vel non-repugnantia cogitationes libidinosas non foveat, votum castitatis non protenus violat; Neque de castitate *conjugali*, cum in ipso conjugium Clericis planè interdicatur; Sed de *externâ* tantum aliqua castitate, quæ Clerici in cœlibatu manere, atque ab omni usu Veneris se continere debeant.

S. XI. Observ. (3) Quòd Tyrannis Pontificia non solum Clericos in cœlibatu vivere jubeat, verum etiam in ipsum sacratissimum conjugii vinculum contumelias evomat impudentissimas, *Bellar. l. 2. de Monachis c. 30.* scribit: *Qua se non continet nubat, melius est nubere quàm uri, nam utrumq; est malum & nubere & uri, imò pejus est nubere.* En amabo! quàm ille expressè Scripturam S. contradicit? Hæc enim dicit; *melius est nubere quàm uri*; ille contra; *pejus est nubere quàm uri.* Et *ibidem*; *Qua nubit post votum simplex, illa quidem verum matrimonium contrahit, tamen aliquo modo magis peccat, quàm qua fornicatur.* Sanè! si vel Tarianus vel Manes aliquis ex orco rediret, pejus vix de conjugio loqui posset. Sed audiamus etià impudentissimū Cõseri calamū *in Enchiridio p. m 328. Sacerdos, inq̄uentis, si fornicetur, aut domi concubinã foveat, tamen si gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium. Quid*  
quæso



quæso hoc aliud est, quàm Clericis apertam ad libidinosas scortationes fenestram aperire? Costerum defendere conatur *Gretserus in hist. ord. Jesuit. p. 113.* dicens: *Verissimè scripsit Costerus noster, sacerdotem, si fornicetur, aut domi concubinam alat, tamesi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccare, si matrimonium contrahat, quia etiamsi sacerdos nuptias celebrat, nuptie tamen nullæ sunt, neq; uxor illa legitima sit uxor, sed scortum manet, cum sacerdos ad matrimonium contractum sit inhabilis.* Inepta sanè ratio! Nam si scortum, & non legitima uxor est, quomodo magis peccare potest, quàm si cum scorto coeat? Accedit, quod existimat *Gretserus*, conjugium à Clerico contractum esse ipso facto nullum, sacerdotemq; ad contractum conjugium esse inhabilem, quæ autem hujus nullitatis & inhabilitatis ratio? Forsan quia se voto castitatis obstrinxit? sed hæc non sufficit. Sic enim loquitur *Gratianus dist. 27. can. Diaconos §. Hac auctoritate: Tanta vi est in sacramento conjugii, quod nec ex violatione voti possit dissolvi ipsum conjugium.*

§. XII. Demonstrato, quod Pontificii Clericos ad cœlibatum cogant, ostendendum nunc est, quod hæc coactio sit error hæresi proximus. Errorem esse patebit, si tum probetur, Clericos non obligari ad cœlibatum, tum contrariæ sententiæ fulcra subruantur. Quoniam verò ad hæc omnia ritè prosequenda hæc pagellæ non sufficiunt, aliiq; doctiores hinc operam suam dextrè atqve eruditè collocarunt, ut, qui integros tractatus de hac materia legere desiderat, adire possit & *Excellentissimi b. m. Calixti Conjugium Clericorum, & Admodum Reverendi Dn. Præsidis Conjugii Clericorum patrocinium*, qui clarè & nervosè demonstrarunt, quod per singula secula conjugium Clericorum fuos in ipsâ etiam Ecclesiâ Romanâ fautores invenerit. His addi potest *Doctissimi Dn. Chemnitii historia de cœlibatu sacerdotum, à temporibus Apostolorum ad nostra usq; secula deducta, & Examini Concilii Trid. inserta.* Placet igitur hæc vice solùm ea, quæ *Petrus Witsfele* è societate Jesu Theologus in sua jam supra citatâ Theologiâ catechetica *Monasterii Westphalorum anno 1656. editâ, lib. 4. disquis. 6. instruct. 3. de hac questione: An Sacerdotes & alii in ordinibus majoribus constituti teneantur servare continentiam perpetuam?* proposuit, ad examen revocare.



§. XIII. Responsio autem ipsius hæc est: (1) *Tenentur ser-  
vare continentiam; Non quidem jure divino, (Trid. sess. 24.) nam Ec-  
clesia aliquando dispensavit cum Diaconis, (Ancy. c. 10.) ut uxores ducere  
possent, & circa annum 700. cum sacerdotibus Græcis, ut possent uxori-  
bus ante sacerdotium ductis conjugaliter convivere. Sed humano.* Hic  
vera loquitur, dum ex humano cerebello hanc legem emanasse  
scribit. Allegat Concil. Trid. forsan quòd illud primum fuisse  
existimet, in quo Pontifex Clericis conjugatis anathema dixit; vel  
etiam, quòd ex eo, quia Patres hujus Concilii prudenter sibi cave-  
runt, nè causas hujus decreti exponerent, colligere velit, nullo  
modo illas ex Scripturâ depromi posse. Cum igitur concedit,  
jure divino Clericos ad servandam perpetuam continentiam non  
teneri, jam contra ipsum evici, quòd Clerici jure divino libertatem  
habeant & manendi & non manendi in perpetuo cœlibatu, contra-  
hendi & non contrahendi matrimoniû, ut adeò, qui vident, se dono  
continentiæ instructos non esse, uxorem possint ducere, juxta mo-  
nitum Apostoli 1. Cor. 7, 2. *Propter fornicationem quisq; habeat suam  
uxorem.* (2) Pergit Witfelt: *Non Pontificio, quicquid Melancthon  
in Confess. August. a. 23. falsò scripserit, eam legem in Germaniâ à Pontifi-  
ce primum esse inductam ante annos 400, quod satis refellitur ex concil.  
Aquisgr. sub Ludov. 1. c. 11. Vormat. c. 9. Mogunt. c. 20. Sed Apostolorum.*  
Distinguit Jesuita, quamvis satis insulse, jus humanum in Pontifi-  
cium & Apostolorum; Negat, quòd jure Pontificio introductus  
sit cœlibatus Clericorum; Afferit contra, eum ab Apostolis intro-  
ductum. Verùm si Apostoli cœlibatum Clericis injunxerunt, aut  
ore aut scriptis illud factum est; Prius demonstrare Jesuita non  
potest; Posterius verò vel exinde falsitatis arguitur, quòd Apo-  
stoli scripserunt immediatè à Deo acti, ut ita præcepta illorum ad  
jus divinum spectent; secundùm antagonistam verò jus divi-  
num cœlibatum Clericis non præcipit. Quòd autem Apostoli  
legem cœlibatus non promulgarint, sed potiùs Clericis conjugi-  
um permiserint, contra Pontificios *Canones* illi, quos hi *Aposto-  
lorum* nomine circumferunt, clarè ostendunt, *quintus* enim ita ha-  
bet: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem suam prætextu Re-  
ligionis non abjicit, si abjicit segregator à communione, si perseverat, de-  
ponitor.* Stomachatur etiam Jesuita in hæc Augustinæ Confessi-  
onis



onis (quàm Melanchtoni frustra tribuit) verba: *Ante annos quadringentos sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, qui quidem adeo aduersati sunt, ut Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Pontificis de eâre, penè ab iratis Sacerdotibus oppressus sit;* Sed si de horum veritate dubitat, adeat Hirsfeldensem cujus verba *Cbermannius l. c.* refert. Adducit quidem Jesuita in contrarium quædam concilia, verùm ad illa jam pridem responsum est à B. Dn. Calixto, loco citato, qui videri potest.

§. XIV. Dixerat, ab Apostolis hanc doctrinam trahere originem; ut igitur hoc ostendat, pergit: *Qui ad Apostolatam vocati, primùm quidem sibi ipsis continentia legem indixerunt, ut colligitur ex Mat. 19, 29. ubi Petrus: Ecce, inquit, reliquimus omnia; v. 29. etiam uxores.* Fragile argumentum pro demonstrandâ necessitate cœlibatus Clericorum. Allegato enim v. 29. minimè dicuntur Apostoli reliquisse uxores, sed Christus illi, qui hujus vitæ commoda, urgente necessitate, propter nomen suum neglexerit, hæreditatè vitæ æternæ pollicetur. Sed esto; Reliquerint etiam uxores, quid tum? Non enim, quòd per omnem vitam reliquerint, probabile est, quia hoc salvâ fide conjugali non poterant, cum maritus non habeat potestatem corporis sui 1. Cor. 7, 4. Sed saltim ad tempus; Nam quòd quidam Apostoli uxorati fuerint, uxoresq; suas in itineribus secum duxerint, expressè affirmat Paulus 1. Cor. 9, 5. Imò dum Romana Ecclesia Petronillæ, Petri Filia, meminit, simul concedit, eam à Petro tempore Apostolatus susceptam esse, cum Petrus ante Apostolatam nomen Petri non habuerit. Sed si & hoc, cujus tamen contrarium patet, Jesuitæ largirer, nimirum Apostolos à Christo vocatos in perpetuum reliquisse uxores, quomodo probabit, quòd nullus omninò Clericus, vi hujus exempli, salvâ conscientia, matrimonium contrahere possit? cum scriptura illud exemplum imitandum nullibi præcipiat.

§. XV. Conatur equidem Antagonista illud ex Scripturâ elicere, dum pergit: *Tum deinde etiam cæteris (scil. præceperunt Apostoli continentiam) ut colligitur (1) Tit. 1, 3. Oportet Episcopum, id est, sãm Presbyterum, quàm qui est Episcopus ordine, continentem esse; Græcè ἐπιτρονικόν, puta à Veneris, sic enim hæc vox ubiq; in Scripturâ accipitur, cum absolutè ponitur.* Sed nihil probat; Sunt enim verba Pau-



si juris divini, quia ergo jure divino coelibatus Clericorum, juxta  
 ad versarium, non praecipitur, neque hoc dictum de coelibatu Cle-  
 ricorum loqui poterit. *Abstinencia* igitur s. *ἐγκράτεια* hic signi-  
 ficat, non ut Jesuita vult, omnem abstinentiam, etiam à propria  
 uxore, sed solum ab illicitis rebus & voluptatibus. Alias enim  
 Sacerdotes V. T. *ἐγκράτεις* non fuissent. Cum autem existimat,  
 hanc vocem absolutè positam omnimodam abstinentiam impor-  
 tare, prodit, se non observasse dictum 1. Pet. 1, 5. *Sed in hoc ipso sub-*  
*ministrare in fide vestra virtutem, in virtute verò scientiam, ἐν δὲ τῆ ζωῆ-*  
*σιν τῶ ἐγκράτειαν, ἐν δὲ τῆ ἐγκρατεῖα τῶ ὑπομονῆ* & quod Paulus  
*Act. 24, 25. πρὸς δικαιοσύνης καὶ ἐγκρατείας* disputasse legatur. Cum i-  
 gitur Petrus omnibus Christianis praecipit *ἐγκράτειαν*, juxta Jesui-  
 tam, omnis etiam Christianus à propria uxore debet ab-  
 stinere; Et cum Paulus coram Felice disputavit de conti-  
 nentia, eum, ut ab uxore abstineret, cohortatus est. Ulterius,  
 quod Apostoli Clericis continentiam praeeperint, colligit: (2)  
*ex illo, 1. Tim. 3, 8. Oportet Diaconos esse pudicos; id est continentes.* Sed  
 quis, quæso, hanc glossam addidit? Et unde constabit, τὸ pudic-  
 cum per continentem esse explicandum? In Graeco habetur *σω-*  
*μνῆς*, quâ voce non tam pudicitia quàm morum gravitas, quæ re-  
 verentiam conciliat, indigitatur; unde & Erasmus illam non per  
 ly pudicos, sed per ly compositos vertit. Sic quando Proverb. 8,  
 6. Sapientia dicit: *נְגִידִים אֲדַבֵּר* Principibus digna loquar, Graecus  
 vertit: *Σεμνὰ ἐρῶ*. Has ergò rationes nihil probare unusquisq;  
 videt.

§. XVI. Vidit sine dubio Jesuita, coelibatum Clericorum  
 ex Scriptura probari haud posse, provocat ergò ad Conciliorum  
 canones, ita pergens: (3) *Ex can. 27. Apost. ubi ipsi statuunt, ut soli*  
*Lectores & Cantores possint ducere uxores, quòd postea mitigatū est.* Sed  
 Resp. Canonum Apostolicorum autoritatè nullam esse, prout de-  
 monstravit Dn. Praeses l. c. p. 70. qui & ipse *ibidem* p. 7. probat, can.  
 V. horum canonum conjugio Clericorum ex asse favere; Et cur  
 mihi prohibitum sit dicere, quod Baronius aliquando de quodam  
 illorum canonum dixit: *Apocryphorum non est tanta auctoritas, ut*  
*quae sunt tam certa, tota acque firmata, convellant?* A seculo I. descen-  
 dit



dit Jesuita ad seculum IV. dicens: (4) *Ex Carthag. 2. c. 2. circa an-*  
*num 396. ubi Patres legem hanc renovantes, quod, inquit, Apostoli do-*  
*ceverunt, & ipsa servavit antiquitas, custodiamus.* An verò hæc syno-  
 dus particularis, tempore Siricii Papæ, qui primus conjugium  
 Clericorum latâ lege abrogasse fertur, habita, S. Scripturæ & Con-  
 ciliis Oecumenicis præjudicare queat, incorrupto judici judican-  
 dum relinquo. Sanè si decretis conciliorum aliquid est tribuen-  
 dum, prævalebit Nicænum, tanquam œcumenicum, & eod. secu-  
 lo, ante tamen tempora Siricii, celebratum, in quo, cùm (teste So-  
 crate Histor: l. 1. c. 11.) nonnulli cœlibatum Clero imponere  
 vellent, Paphnutius Episcopus, vir maximè probus & eruditus,  
 solus ferè restitit, effecitq; ut matrimonium Clericis liberum re-  
 linqueretur. Sed dubitat fortassis Jesuita de veritate hujus histo-  
 riæ, Sic enim object. 8. dicit: *Acta authentica nihil tale continent. Au-*  
*thores citati non semper ex fide scribunt. Rufinus, qui ante illum scripsit,*  
*nihil tale meminit &c.* At, licet Rufinus nihil hujus meminerit,  
 habetur tamen eadem illa historia in *Decretis dist. 31. can. Nicæna*  
*synodus.* Opponet autem fortasse Jesuita, quòd in illo Concilio  
 prohibeatur Clericis, in ædibus habere mulieres subintroductas,  
 nam sub finem hujus responsionis allegat *Basilium Ep. 17. ad Parego-*  
*rium* scribentem: *Nec primi sumus, Paregori, qui feminas à virorum*  
*contubernio abjungamus, lege Canonem à S. S. P. P. in Nicænâ Synodo*  
*constitutam, ne quis mulierem introductam habeat &c.* Ejus igitur il-  
 lam ex adibus suis. Verùm hîc non *propria conjux*, sed *γυνή συνείσθη-*  
 τος *mulier subintroducta*, quæ cœlibi quidem tanquam socia, citra  
 tamen conjugium, cohabitabat, intelligitur, uti illud satis clarè &  
 fusè demonstrant Clarissimi supra citati Viri & quidem *Calixtus à*  
*p. 245, ad p. 259. Dn. Praeses v. S. 12. p. 11, 12. 13. 14.* Quòd si quis ur-  
 geat per *συνείσθητον γυναίκα* uxorem omnino intelligi debe-  
 re, sequetur, nè quidem Cantoribus Lectoribusvè uxores fuisse  
 concedendas, cùm juxta *Conc. e. 3.* nulli omninò eorum, qui in  
 Clero sunt, *συνείσθητον* liceat habere mulierem.

§. XVII. A Conciliis ad Scripturam relabatur Jesuita: (5)  
*inquiens, ex 1 Tim. 5, 9. ubi Apostolus viduas non nisi sexagenarias, & post*  
*voitū continentis editum, ad ministerium vult admitti, quando minùs ad-*  
*misit incontinentes, qui ad Eucharistia celebrationem proprii concurre-*  
rent.



rent. Argumentum hoc est: Quicumq; viduas solùm sexagenarias, & post votum continentiae editum, ad ministerium Ecclesiae vult admitti, ille multò minùs admittet conjugatos viros; atq; Paulus viduas solùm &c. Sic autem & major & minor probatione indigebunt. Majoris enim consequentia oppidò falsa est, cum idem Paulus, qui viduas sexagenarias vult eligi, *c. 3, 12. hujus Epist.* dicat: *Diaconi sunt unius uxoris mariti.* Ut autem pateat, quare vidua grandaeva, & non florentis aetatis, eligenda fuerit ad ministerium, notandum, quòd, licet mulieribus in publico docere interdictum fuerit, in primitivà tamen Ecclesià viduas selectas sustinuisse quaedam officia; v. g. ut in Xenodochiis aegrotis ministrarent, ut puellas in Christianae fidei rudimentis informarent; *Tir. 2, 3. 4.* Ad hæc officia necessaria erat electio viduae senis, quæ per aetatis rationem à secundis nuptiis abstineret, & delegatū munus curaret. Nam si in officio constituta nupsisset, debuisset virum sequi, & officium relinquere. Patet ergò, quòd alia ratio sit Episcopi, alia viduae; Uxor enim non revocat Episcopum à munere sibi concredito; Foemina autem tenetur obedire marito, nec illo invito studia sua Ecclesiae devovere potest, Minore quòd attinet, licet ex textu constet, viduas haud minores 60. annis eligi debere, nondum tamen ex textu probari potest, quòd viduae debuerint votum continentiae edere, praesertim tale votum, uti procul dubio vult Jesuita, quali hodie moniales se obstringunt; Idcirco enim sexagenariae eligebantur, ut nè propter decrepitam aetatem vota secunda appetèrent, aut speciali voti obligatione opus haberent.

§. XIIX. Responsum tandem suam Jesuita ita finit: *Videri potest Jacobus Gualterius in Chronico, ubi per singula secula ex Conciliis & PP. ostendit, quomodo Ecclesia semper laborarit, ut, quod ab Apostolis accepit, integrè & inviolabiliter custodiret. Rationes, quae Apostolos moverint ad hanc legem ferendam, plures recenset Bellarm. &c. Ineptissimum, rationes, quae Apostolos moverint ad id, quod ipsis nequidem in mentem venit, faciendum, assignare. Ineptius verò est, aliquid; tanquam ab Apostolis acceptum, quod tamen ab ipsis reverà acceptum non est, custodire, quod certè nihil aliud est, quam suavi imaginatione se ipsum scientem fallere. Quòd autem lex de coelibatu Clericorum nec Apostolis originem debeat,*  
neque



neque in primitivâ Ecclesiâ lata fuerit, sed quòd Papalis arrogantiâ supra reliquas Ecclesias paulatim tyrannidem quærens eam promulgaverit, historia Ecclesiastica satis testatur, quin idem prodit ipse *Gratianus sub initio dist. 31. dicens: Tempus etiam (sc. constitutiones variat) quia nondum erat constitutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

§. XIX. Cùm ex dictis satis clarè eluceat, Pontificios in hac de cœlibatu Clericorum doctrinâ errare, nec Clericos ullo jure ad cœlibatû adstringi, possem hîc acquiescere; Placet tamè adhuc unû vel alterum argumentû, ut eò clariùs error Adversariorum pateat, annectere; Dico ergò I. Quicumq; donum continentia non habent, illi non tenentur in cœlibatu vivere, sed potiùs matrimonium contrahere; at multi Clerici donum continentia non habent. E. Consequentia majoris clara est ex eo, quòd Apostolus dicit *1. Cor. 7. 2. Propter fornicationem quisq; habeat suam uxorem, & v. 9. melius est nubere quàm uri;* Ergò illi, qui uruntur & ad fornicationem proni sunt, debent conjugium inire. Respondet noster Jesuita *Objectione 3. Paulus vult, non omnes habere uxorem simpliciter, sed eos tantùm, quibus continentia est difficilis, & non sunt impediti voto, morbo, aliòvè defectu.* Sed nihil evincit; Nam illa quæ excipit se habent ad conjugium & cœlibatum accidentaliter, & neminem neque ad hunc neque ad illud ita obligant, ut alterum non liceat eligere. De voto hic præcipuum est dubium, cùm Jesuita putet, Clericos propter votum non posse contrahere. Verùm illud votum est temerarium; Continentia enim virginalis non est arbitraria, nec in cujusvis potestate posita, sed donum Dei singulare; Donata igitur votum facturo priùs debet esse, quàm illam vovere possit; Nam quòd quis non habet, id alteri polliceri non debet. Atq; sic ab hoc Pauli præcepto non excipiuntur, qui voverunt continentia, sed qui eam habent; Hi verò sunt paucissimi. Qui autem illam non habent melius faciunt, si contrahant matrimonium, quàm si illicitâ luxuriâ libidinosq; concupiscentiis quotidiè in Deum peccent. Si enim, juxta *1. Sam. 15. 17. melior est obedientia quàm victima,* etiâ magis Deo placebit, secundùm præceptû & ordinationem divinitus datâ vivere, quàm contractû votum in libidinosâ inobedientia ei offerre. Ad minorem, quòd multi Clerici donum continentia non habeant, probandam,

C

provo.



provoco (1) ad propriam ipsorum conscientiam, quæ unicuique quoties in luctu adversus pravas carnis libidines defecerit, dictabit, se donum continentiae non habere. (2) Ad varia testimonia scriptorum, qui horrenda atque abominanda Clericorum continentiam professorum scelera, quæ nemo pius sine cordolio legere potest, commemorant. Qui paucula & quasi in compendio de his legere cupit, adeat *Chemniti Examen Conc. Trid. ubi historia de cœlibatu Sacerdotum, quadam, de fructibus impuri apud Pontificios cœlibatus, annectit, p. m. 514.* (3) Ad testimonium Scripturæ. Cùm enim Clerici homines sint, ad illos etiam spectabit dictum Christi *Mat. 19, 11. Non omnes sunt capaces sermonis hujus, sed quibus datum est. Nec est quod Jesuita hinc excipiat: Omnes illud habere quantum est ex parte Dei, modò utantur mediis ad illud obtinendum in scripturâ prescriptis.* Hæc enim conditio nihil ponit in esse, quoniam expressè repugnat huic dicto, in quo Christus, non omnes continentiae capaces esse, asserit. Producat igitur Adversarius alium locum, ubi, se eam omnibus promiscuè atque absolutè daturum, promiserit Christus. Contrarium potius, nempe naturalem, ad producendum sui similem, appetitum hominibus à Deo inditum esse, probatur ex *Gen. 1, 28. Crescite & multiplicamini.*

§. XX. Dogma de cœlibatu Clericorum esse errorem, probatur II. Quicumque debet esse unius uxoris maritus, ille non tenetur in cœlibatu vivere; sed Clericus debet esse unius uxoris maritus; E. Majoris consequentia vi oppositorum patet. Minor exstat *1. Tim. 3, 2. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum. & 1. c. v. 12. Diaconi sint unius uxoris mariti, item Tit. 1, 6. Oppidatum constitue Presbyteros, sicut ego tibi ordinavi. v. 7. Si quis est inculpatus, unius uxoris maritus &c.* quæ loca adeò clara sunt, ut nemo mortalium ea aliter possit accipere, quàm quòd Episcopus, Presbyter & Diaconus, absque ullâ reprehensione, in conjugio possint vitam ducere. Unde Antagonista nihil efficit, dum excipit *obj. 4. Vult nullum ordinari in Episcopum, nisi vel nullam, vel non nisi unicam uxorem habuerit.* Transmutat enim præsens in præteritum, quæ transmutatio hinc, præsertim in primo loco, locum non potest habere, quia *ly è va* est copula, quæ in hoc unico versu vel septem



Septem prædicata de subjecto, Episcopo, affirmantur; Si igitur *ly εἰς*, dum hoc prædicatum, *unius uxoris maritum*, de Episcopo affirmat, per præteritum, excluso tempore præsentis, explicandum est, pari ratione hæc explicatio copulæ in cæteris propositionibus locum inveniet, sed posterius est falsum, cum Episcopum oporteat & fuisse & esse irreprehensibilem. Accedit, quod *ly εἰς* adjiciatur primæ propositioni, in quo sensu temporis autem est primæ propositionis copula, in eo etiam reliquarum copula esse debet.

§. XXI. Erroneum esse hoc Pontificiorum dogma, probatur III. Quicumque attendunt spiritibus impostoribus & doctrinis Dæmoniorum, illi docent errorem; At qui prohibent contrahere matrimonium, attendunt spiritibus impostoribus & doctrinis Dæmoniorum. E. Major clara est, nam Diabolus est spiritus mendacii, & dum homini imponit, ipsum fallit, atque in errorem inducit. Min. patet ex 1. *Tim.* 4, 1. 3. ubi Paulus: *Spiritus autem certò loquitur, quòd in posterioribus temporibus descendent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis Dæmoniorum. prohibentiù contrahere nuptias*, Hæc expressè dicitur, quòd prohibitio conjugii sit doctrina Dæmoniorum, qui igitur talem prohibitionem docent, illam utique à nullo alio quàm à Dæmone didicerunt. Nec habet quicquam quod excipiat Jesuita, ut tamen aliquid respondisse videatur, dicit *obj. 6. Tatianos & Encratitas notas sec. II. hæreticos, non nos.* Egregia sane responsio in alienis lyncæos habentis oculos, in propriis talpæ cæcioris! Pergit autem: *Qui neque discessimus hucusque à fide, neque prohibemus ulli nuptias, qui sui juris est, sed Clericis voto continentia ligatis, idq; quia scriptum est: Vovete & reddite.* Duas adducit rationes, quare hoc dictum suos non tangat; (1) quòd Paulus loquatur de illis, qui descendent à fide, hoc autem de Pontificiis dici nequeat; sed Resp. utique hoc prædicatum vi hujus dicti adversariis competit; Nam dum prohibent matrimonium, spiritibus malis attendunt, dum autem illis attendunt à fide descendent; Dicit enim textus: *ἀποστήσαντες ἀπὸ τοῦ κένου*. (2) Putat Antagonista, Paulum loqui de illis, qui omnibus prohibent matrimonium, suos verò non omnibus, sed Clericis saltim prohibere propter votum. Sed resp. Paulus non tam de illis loquitur,



qui conjugium in universum damnant, quàm de his, qui propter  
*hypocrisis* i. e. externam speciem sanctitatis & perfectionis cœlibat-  
tum inculcant, jam autem certum est, quòd propter illam ipsam  
rationem Pontificii suis Clericis nuptias prohibeant. Unde mi-  
nimè Jesuita per hæc effugia effugiet, quòd putat Paulum respexisse  
solum ad hæreticos seculi II; Non enim de unâ aliquâ secta, nec  
de certo aliquo puncto temporis mox post Apostolorum seculum  
futuri, loquitur, sed de posterioribus temporibus, & de omnibus  
vaticinatur.

§. XXII. Postquam vidimus, Pontificios, adstringendo  
Clericos omnes ad perpetuum cœlibatum, errare, ostendendum  
tandem est, quòd hic error sit *hæresi proximus*. Videri autem  
posset, quòd dogma hoc nō sit talis error; Nam (1) Hæ-  
resis debet importare corruptionem fidei Christianæ; E. id,  
quod est hæresi proximum, erit via, per quam ad corruptionem  
fidei descenditur; Jam autem dogma de cœlibatu Clericorum  
nullo modo videtur ansam præbere ad corruptionem fidei Chri-  
stianæ; E. etiam non erit error hæresi proximus. (2) Circa ea,  
quæ sunt adiaphora, & in uniuscujusq; potestate posita, non pot-  
est committi error hæresi proximus; Sed cœlibatus est in unius-  
cujusq; potestate positus; E. circa cœlibatum non potest commit-  
ti error hæresi proximus.

§. XXIII. His autem contrariatur, quòd in *supra e. l. i. Tim.*  
*4, 1. 3.* Apostolus docet, prohibitionem contrahendi matrimoni-  
um esse doctrinam Dæmoniorum, & illos qui in tali dogmate spi-  
ritibus impostoribus attendunt, desciscere à fide, videtur igitur  
quod prohibitio conjugii, quia est doctrina Dæmoniorum, & de-  
fectus à fide, vel sit hæresis, vel error hæresi proximus. Cùm au-  
tem secundum *Thom. in 2, 2. q. 11. a. 2.* dupliciter aliquid pertineat  
ad fidem, uno modo *directè & principaliter*, sicut articuli fidei prin-  
cipales, alio modo *indirectè & secundariò*, sicut ea, quæ articulos  
fidei principales sequuntur; ex eo etiam duplex gignitur error,  
unus, qui *directè est contra articulum fidei principalem*, & talis error,  
si is, qui eum fovet, correctus contumaciter resistat, est absolute  
hæresis; Alter, qui *est circa ea, ex quibus sequitur corruptio fidei*, &  
talis dicitur hæresi proximus. Quia igitur Apostolus dicit, quòd  
prohi-



prohibentes contrahere matrimonium attendant doctrinæ Do-  
moniorum, & deficiant à fide, hic verò defectus non est *directè* ab  
aliquo articulo fidei, sequetur, quòd non sit hæresis, sed saltim er-  
ror hæresi proximus.

§. XXIV. Ad (1) ergò dicendū est; quòd utiq; dogma de coeli-  
batu Clericorū ansam præbeat ad defectum fidei, Cum enim Pon-  
tifici communiter statuunt, quòd *coelibatus sit opus quoddam supere-  
rogationis, per quod Evangelica consilia impleantur, & aliquid supra ac  
altera Dei præcepta, quo sibi ac aliis cælibes meritum aliquod propriè sic di-  
ctum acquirere, & pro suis & aliorum peccatis coram Dei judicio satisfacere  
possint, efficaciam meriti Christi, ut qui solus pro peccatis no-  
stris satisfecit, valdè diminuunt.* In (2) probè distinguendus est  
coelibatus alicujus Clerici, à doctrina de coelibatu Clericorum.  
Huic vel illi Clerico est coelibatus res adiaphora, ita ut libe-  
rè possit vel in coelibatu manere, vel matrimonium con-  
trahere. Quin etiam illi, qui usque ad extremam senectutem  
castè sancteq; in coelibatu permanent, à nostratibus laudantur,  
præsertim si fideliter & unicè curent, quæ sunt Domini; Unde  
optimè Chemnitius, p. 3. *Exam. Conc. Trid. tit. De virginitate & coeli-  
batu p. m. 454. Recipimus igitur, probamus & repetimus Ecclesia catho-  
lica confessionem, qua existat in Concil. Gangrensi & ap. Epiph an. l. 2. tom.  
1. bar. 48. Sancta Dei Ecclesia virginitatem cum humilitate admiratur &  
glorificat, viduitatem laudat, nuptiarumq; castum vinculum honorat &  
suscipit &c.* Coelibatus igitur unicuiq; Clerico liber relinquitur.  
Ab hoc autem valdè differt doctrina Pontificiorum de coelibatu,  
quâ ad illud, quòd per se adiaphorum est, ita Clericos adstringunt,  
ut illis, ad alteram partem transire, non sit licitum; Atque sic  
dum in coelibatu eligendo, Clericis liberam voluntatem non re-  
linquunt, sed illos ad coelibatum vovendum compellunt, ex eo,  
quod est adiaphorum, necessarium faciunt. Atq; hæc hæc  
vice de coelibatu Clericorum scripsisse  
sufficiat.

☞ (: o : ) ☞







**Q**ui cum WITTFELDO campum de-  
scendis in album,  
Quod sit, fac videant, nigrior ejus  
ager.

Ille Nigram Sociam, Nitidam tu dicis  
Amicam  
Esse viris Sacris. Gratulor hisce  
Tibi!

Hæc Dno. Respondenti amicitia con-  
testandæ gratiâ s.

Christianus Hornbostelius.

Cello-Luneburg:

**Ε**ν τῷ Παλλαδίῳ πολέμῳ καλὸς στρατιώτης  
εἰς πῦρ τὸ γέγονας, Φίλτατ' ἀδελφεῖ ἐμῷ.  
Νῦντε μάστιγι σὺν Παππιδικοῖσι πηῖσαι ἀγῶνας,  
τῆς μοναχικῆς ζωῆς τῶν ἱερῶν ἐνεκαί,  
Ἐυσεβείης ἀγα, καὶ Σαφίης ὀπλοῖσι μάχαιοι,  
Νικητῆς ἐσσύ λαμπρὰ βραβῖα φέρων.

**P**ræmia non desunt generosis Martis alumnis,  
Cum fundunt hostes nisibus Herculeis,  
Nisibus Herculeis Wittfeldi sterne sodales,  
Sic tibi mi. Frater præmia non deerunt.

Hæc paucula πηῖων τῷ καλῷ  
exambat per dilecto suo Fratri,

Gerh. Henr. Hopman,  
Osnab. Westphalus.























Q Vi cum WITTFELDO cam  
scendis in alb  
Qvod fit, fac videant, nig

Ille Nigram Sociam, Nitidam  
Ami  
Esse viris Sacris. Gratul

Hac Dno. Respondenti a  
testandæ g  
Christianus Hornb  
Cello-Lun

Εν τῷ Παλλαδίῳ πολέμῳ κατὰς στρατιώτης  
εἰς πόδε τὸ γέγονας, Φίλῳτ' ἀδελφὲ ἐμῷ.  
Νῦντε μάεις σὺν Παπαδικοῖς πηῆσαι ἀγῶνας,  
Τῆς μοναχῆς ζωῆς τῶν ἱερῶν ἐνεκαί,  
Ἐυστεβείης ἀγα, καὶ Σαφίης ὀπλοῖσι μάχοιο,  
Νικητῆς ἐσση λαμπροῦ βραβεία φέρων.

PRæmia non desunt generosis Martis alum  
Cum fundunt hostes nisibus Hercu  
Nisibus Herculeis WittfeldIsterne sodales,  
Sic tibi mi. Frater præmia non deerunt.

Hæc paucula πηῶν | ⊙ | τῷ καλῶ  
exambat per dilecto suo Fra

Gerh. Henr. Hor  
Osnab. West

